

ERNESTI FRIDERICI WERNSDORFII S. T. C.

DISSERTATIO EPISTOLARIS

DE

VERA GLORIA EIVSQVE CVPI-
DITATE NON ILLAVDABILI

AD

FRATREM AMANTISSIMUM

GOTTLIB. WERNSDORFIUM

VITEMB.

SYMMOS PHILOSOPHIAE
HONORES

IN ACADEMIA PATRIA

CAPESENTEM

LIPSIAE

LITTERIS BREITKOPFIANIS.

clō lo cc xxxviii.

~~77~~

a. ~~cxviii~~ 28

~~#. ~~cxviii~~ #~~

Coll. diss. A
34, 32

Diff. A. 294 (32)

UNIVERSITÄT WÜRZBURG
DIPLOMATISCHES INSTITUT
DE
VON GIORA EIVSOVE CYPE
DITATZON KALADALI

TRATTEN AN ANTISSIVAM
GOTTES WISSENDRUM
SYMPLIOS TILLOSOMHAE
HONORIS
IN DER DEMIA KATHA
CURSANTUM

LIBRAE
LITTEARIS ERNESTI KOPFMANIS
KUNSTSTADT



FRATER CARISSIME,

Ex quo tempore propensissima magnifici
Klaufingii, alterius ueluti parentis, in me
uoluntate inuitatus, in celeberrimam
hanc ueni academiam, ut ibidem litteris
operam nauarem, amorem in TE meum, quem
coram non potui, crebrioribus saltim litteris
testificari studui, et deinde ex TVIS uicissim,
haud leuem semper uoluptatem percepi, sed
illi laetitiae, quam laetus de nouo honore TVO
nuncius attulit, nequaquam aequiparandam.
Haec sane summa erat, et tanto maior, quanto
minus id omne expectaueram. Nondum enim
memoria exciderat, quanto semper labore, licet
multum ac saepius inuitatus, eiusmodi honores
recusaueris, et quam uanam illam gloriam pu-
taueris, quae in titulis quaeratur. Sed uideo,
TE mutasse consilium, idque maturum et aetati
TVAE conueniens uehementer adprobo, ob eam-
que causam cupio, in praesenti tempore, quo
TIBI bene precari et intimos sensus meos per-
tentantem exultationem declarare decreui, be-
neuole concedas, ut bonis uotis et ominibus,
quaedam de gloria eiusque cupiditate non illau-
dabili praemittam, TE que in TVO consilio
quantum potero, confirmem.

Nihil frequentius hominum sermonibus agitur, nihil maiori animorum contentione ab iisdem quaeritur, quam gloria, de qua tamen adeo peruersa saepius iudicia audimus, ut haud uanus et inutilis labor uideri possit, qui in ea, recte definienda, occupetur.

Hominum, quos uis et distincta uerae gloriae notio fugit, duo sunt genera. Vnum, quia ignorat, negligit gloriam; alterum sitienter adpetit. Vtrumque igitur monendum est, alterum, ne otio et uoluptate diffluens, satius esse putet, nihil agere honore et gloria dignum, quam speciminibus uirtutis et diligentiae editis inclarescere, ne male factis gloriam pari credat, alterum. Hinc uera quae gloria et qualis sit, quaque ratione recte quaeratur, si potero, ostendam.

Recte in gloria esse et celebrari merito dicitur, qui diligentia praestat aliis, qui meritis in rempublicam maximis eminent, pietate in Deum, fide in homines elucet, et multis aliis, quae recenseri possent, uirtutibus conspicuus deprehenditur. Quum autem uulgus hominum eas statim res uno eodemque nomine adpellare soleat, quae aliquam saltim similitudinem prae se ferunt, uox gloriae ad multas alias res translata est, quam latiore ideo significationem hic coarctatam accipio. Solent nempe in usu loquendi gloria et honor plerumque coniungi, aut potius confundi. Neque negari potest utrumque arcta inter se cognatione contineri. Ob hanc utriusque similitudinem factum est, ut uulgo alterum pro altero ponatur. Sed si adcuratius eum in primis usum, qui inter homines doctos obtinet, respiciamus, gloria et honor non unum idemque sunt, sed ita differunt, ut gloria quidam honoris effe-

effectus habeatur. Instituti ratio non permittit uberius de honore agere, quod longum foret. Interim, ut intelligatur, quisnam ex honoris effectibus gloria uocetur, et quam ratione iste effectus ex honore tanquam ex causa fluat, sequentia adnotabimus. Quando alii de nostris perfectionibus, aut praerogatiuis qualibuscumque, siue sint a fortuna nobis concessae, siue diligentia partae, siue natura faultrice impertitae, propensum ferunt iudicium, oritur existimatio, seu, quod idem est, dicimur magnifieri. Sic latissime patet uox existimatio, ex qua specialior notio abstrahi potest, nempe propensum aliorum iudicium saltim de huiusmodi nostris nostrarumque actionum perfectionibus, quae a libertate nostra pendent, et nobis imputari possunt, quod honor eximie uocatur.

Si quis uero ex me quaesierit, quibusnam signis innotescat beneuolum aliorum de praestantia actionum nostrarum iudicium, ei sane, duplici ratione id fieri posse, responderem. Nonnunquam enim decorum, leges, consuetudo, ceremoniarum quarundam necessitatem nobis imponunt, atque ad huiusmodi cogunt officia, quae aliis tanquam honoris interni signa exhibere obligamur. Et haec signa, honorem externum dici, cuncti norunt. Honoris uero interni signa, dantur etiam prorsus libera, quae quatenus in uerbis consistunt, quibus quis declarat, quam magnifice de altero sentiat, quantique faciat eius uirtutem et perfectiones studio partas, gloria dicitur. Qui igitur tale iudicium a multis experitur in gloria dicitur uersari. Hac ratione hos conceptus clare puto posse distingui, qua uia et ratione neglecta, ad ueram gloriae notionem, quae hominum eruditorum uocibus usuque loquendi celebratur, perueniri posse mihi non uidetur. Docti enim hominis est, quid res ipsa sit, cognoscere, cognitaque ab iis, quae rei contingere possunt, distinguere, nisi cum multitudine errare, labi et turpiter se dare uelit.

§. II.

Gloria, est honoris interni per uerba significatio. Siue, gloria est beneuolum aliorum iudicium, libere declaratum, de praestantia actionum nostrarum moralium.

Praestantes, seu bonae & perfectae dicuntur actiones nostrae, si ad iustos atque utiles fines legitima ratione tendunt. Idem dices, si inquires, actio bona est, quae legibus diuinis conuenit. Leges enim diuinae, nihil aliud sunt, quam fines, ad quos, qui legitima ratione adspirat, is legi agit conuenienter. Gloriam obiectiuam me definire statim adparet. Neque aliud quid opus habui. Ut primum enim hanc notionem ad subiectum quoddam applicaueris, habebis subiectiuam. Vtramque definit TULLIUS. Primam ita. *Gloria est consentiens laus bonorum, incorrupta uox bene iudicantium de eccellente uirtute* TVSCVL. III. 2. Subiectiuam, quod fit, *illustris ac peruagata multorum ac magnorum uel in suos ciues, uel in patriam, uel in omne genus hominum, fama meritorum.* PRO MARCELLO c. VIII. Deinde, aut uere, ita de praestantia tua iudicant homines, uti sese iudicare uoce ostendunt, aut, te, quem coram laudant, absentem, tacite certe rident. Hinc probe monet PERSIUS Sat. I. 60.

*Vos, o patritius sanguis, quos uiuere ius est,
Occipiti caeco posticae occurrite sannae.*

Ne igitur tantummodo, quid alii de te dicant, sed quid dicere debeant, te ipsum excutiens, perpende. Gloria, et magnificae aliorum de tua uirtute uoces, si nulla in te uirtus est, gradus sunt ad summam ignominiam. Quid itaque uerum de tua praestantia iudicium, distet a simulato, etiam atque etiam uidendum. Scelerati mortalium parum curant uirtutem, sed nihilo secius uirtutis fructus cupidissime adpetunt. Quare de promerenda uera gloria, quae uirtutem consequitur, quae

quae in homine uera est, haud quaquam solliciti, uirtutem mentiuntur, persaepe etiam magnam laudem reportant. Hinc gloria uel merita est, uel immerita, licet nihil habeat, quo gaudeat, qui in hacce est. Constat corruptis uocibus hominum imperitorum, aut deceptorum, quae possessorem nullis plane deliciis exhilarant, et a sapiente contemnuntur. Corrupti enim iudices, ut plurimum eos laudant, ac gloria publicisque honoribus dignos censent, quibus res domi lauta, et magnae opes sunt. Hinc NASO *Amor. L. III. Eleg. VIII.* cecinit.

Dat census honores

Inde grauis iudex, inde seuerus eques.

Sic homines in diiudicanda aliorum dignitate persaepe errant, et tunc etiam, quum laudanda laudant, gloria ista, qua has actiones euehant, non semper ex uero de rebus iudicio proficiscitur. Quam ob causam gloria, ratione subiecti, a quo nobis tribuitur, uel ueritatis cognitione nititur, uel erroribus saltim et praeiudicatis opinionibus suffulcitur. Hic igitur illud HORATII in *L. I. Ep. XVII.* locum habet.

Principibus placuisse uiris non ultima laus est.

Ab iis nimirum laudari iuuat, qui sapientiae & uirtutis studiosi, uerum ab infucato distinguere, et rectum ferre iudicium ualent. Alias uti IUVENALIS *Sat. VIII. 76.* ait,

miserum est aliorum incumbere famae,

parum quoque gloriosum, quin immo cum dedecore coniunctum est, ab iis laudari, qui etiam praua laudant, aut quia nesciunt, quid rectum sit, aut quia linguam habent, cuius laudis cupido uenalem. Idem quoque iudicium de laude clientum ferri posse arbitror, quos egregie exagitat sequentem in modum PERSIUS *Sat. I. 52.*

Calidum scis ponere sumen,

Scis comitem horridulum trita donare lacerna:

Et, uerum, inquis, amo, uerum mihi dicito, de me.

Qui pote?

§. III.

§. III.

A moribus et sententiis cuiuscunque aetatis hominum maximam partem dependet gloria, quae ideo, si a uiris ingenio et uirtute illustribus, proficiscitur, reliquas nobilitate antecedit.

Sui cuique tempori sunt mores, suae opiniones, aliae ab aliis diuersae. Id gustus moralis cuiuscunque aetatis dicitur. Quam ob causam, uti ille rerum uicissitudini mirifice obnoxius est, ita haec inconstantia in gloriam, tanquam effectum ipsius, saepissime redundat. Quandoquidem MARTIALE L. V. Epig. 10. teste. *Et sua riserunt saecula Maeoniden.* Illi uero gloriae, quae sapientum uirorum suffragiis fulcitur, sua constat ueritas, sua naturalis pulcritudo, quam nulla aetas temporumque series delebit, nisi inauditam olim barbariem, totam hanc rerum uniuersitatem esse inundaturam, animo concipere possis. Pari ratione, quum uirtutibus immutabilis competat praestantia, gloria, quae a uiris honestis, sinceraque pietate deum colentibus, proficiscitur, multis numeris uagae leuium existimationis nostrae buccinatorum turbae erit anteponenda. Nullum uero facile nobilius gloriae genus erit, quam id, in quo ambae in laudatoribus nostris concurrunt perfectiones, sapientia scilicet seu doctrina et uirtus. Haec enim fundamenti sui immota certitudine, hostium insidias perpetuo eludit.

§. IIIL

Omnes homines, teste Tullio, trahuntur gloriae cupiditate, sed non omnes gloriam eodem modo et ex iis rebus petunt, ex quibus peti debet, recte factorum conscientia et uirtutis indefesso studio.

Desi-

Desiderium finis cuiusdam efficit, ut etiam ex signis eius uoluptas percipiatur. Signum uero, quod possideamus perfectiones, est aliorum iudicium, in quo et honor fundatur et gloria. Utrumque igitur omnes a natura adpetimus. Attamen non eodem modo gloriam cupimus. Causam enim istius cupiditatis, desiderium scilicet perfectionis, non in omnibus hominibus aequè magnum esse, siue natura, siue arte ita dirigente, experientia docet. Eadem quoque adpetituum uoluntatis humanae diuersitas in causa est, cur etiam ratione obiectorum a quibus gloriam quisque suam expectant, in partes tam diuersas abeant mortales. Ea enim est adpetitus perfectionis natura, ut omnia reliquorum adpetituum obiecta integra uelit obtenta. Prout igitur hic uel ille adpetitus in animo quodam dominabitur, ita etiam adpetitus perfectionis ad obtinenda potissimum illius obiecta determinabitur, simulque gloriae gignet cupiditatem. Ita quotidie exempla diuersorum in parienda sibi gloria conatum, obseruamus. Sunt, qui ad gloriam tendunt per artes et scientias, propterea, quod in illis adpetitus ueritatis reliquos exsuperat. Sunt, qui fortitudine inclarescere cupiunt, quia animus ipsorum eximio extra se agendi robore pollens, in illa obiecta lubentissime fertur, ubi ui et inuincibili constantia opus est. Sunt, qui gloriam etiam in re friuola et exigua, seu, ut CICERO *Att. V. 2.* dicit, *laureolam in mustaceo quaerunt*, quia, quid uera sit gloria et laurus Apolline digna, cui sacra est, ignorant. Sunt denique, qui non raro quoque ex eiusmodi uitiis laudem petunt, quae a perditis et nefariis hominibus adprobantur. Plurimi uero mortalium pulcrum quidem putant *digito monstrari et dici* *hic est*, PERSIUS *Sat. I. 29.* Sed abhorrent fere ab ea gloria, quae labore, studio, uigiliis, paranda est, et ex perfectione animi ac uirtute efflorescit. Dulce ipsis uidetur laudibus ab aliis efferri, sed molestum se tantis laudibus dignos efficere. Hinc gloriam sibi fingunt facile, et nullo quasi negotio parabilem,

B

lem,

lem, quumque alios uident uirtute praestantes laudari, sese uitiis excellentes quoque laudem gloriamque consecuturos stulte existimant. Pestiferum genus hominum, quod non solum ex rebus nullius pretii, sed etiam turpibus, ac uiro uirtuti dedito maxime indignis, gloriam adpetit, non perpendens in sola uirtute animique perfectione positam esse ueram gloriam, eosque, qui uitia celebrant, et suam et aliorum prodere mentis, a uero rectoque detortae prauitatem.

§. V.

Gloria per se expetenda non est. Iure autem suo ideo gloriam quisque expectat, quia famam suam tueri tenetur, nec quisquam aequo animo ferre potest actiones suas, cum uoluntate diuina consentientes ab aliis petulanter et inique uituperari.

Huncce de gloriae cupiditate locum, lubricum censet CICERO *de Offic. L. I. c. XVIII.* *Vix enim inquit inuenitur qui laboribus periculisque aditis non quasi mercedem rerum gestarum, desideret gloriam.* AUGUSTINVS autem *Tom. X. Serm. L. 2. ad fratres in eremo scribit.* *Qui fidens conscientiae suae negligit famam suam, crudelis est.* Interim tamen sapiens mauult esse quam uideri princeps, licet et uerum fit, quod apud TACITVM *Hist. L. III. c. VI.* legitur. *Sapientibus cupido gloriae nouissima exuitur,* et ex PHILONE citatur *Φασι τινες ὅτι ὕστατον ἀποδύεται τὸν τῆς κενοδοξίας χιτῶνα ὁ σοφός.* Qui igitur non ideo uirtuti studet, ut gloriam adipiscatur, gloriam tamen, quae recte facta consequatur, necesse est, non negligit, sed, quae alias ob rationes, dei potissimum ut legibus pareat, fecit, publice probari gaudet et cupit etiam, gloriae cupiditate non reprehendenda concitatur. Sic calcar sponte currenti in stadio uirtutis additur, uiro graui et honesto, et licet non ideo laboret, ut suam quaerat gloriam, sed, summi numinis, ad quam

quam

quam omnia referat oportet, uoluptate tamen perfunditur, uidens, studia sua, a uiris probis comprobari ac magnifieri, immo alios eius exemplo adductos idem tentare. Ita non gloria finis actionum fit, sed iam recta agenti stimulus ad plura ac maiora conanda, atque animum, uirtuti addictum, conseruandum. Recte enim OVIDIUS L. III. de Ponto.

*Excitat auditor studium laudataque uirtus
Crescit, et immensum gloria calcar habet.*

Et L. IIII. Trist. Eleg. III.

Ardua per praeceps gloria uadit iter.

Quum uero philosophi profani, immo ipse Cicero, gloriam, actionum suarum scopum praestituerint, hos in eadem adpetenda, a recta, & laudabili uia, immane quantum recessisse, cuncti facile intelligent.

§. VI.

Gloriae cupido, in eiusmodi animis, in quibus nondum ad habitum excreuit uirtutis studium, uiam uirtuti parare potest.

Tutissime & frequentissime gloria per huiusmodi actiones obtinetur, quae continent materiale uirtutis, h. e. quibus ad induendam uirtutis naturam, nil nisi formale deest, seria nempe ad satisfaciendum diuinae uoluntati directio. Iam uero, qui exercitio actionum materialiter bonarum adsuefactus est, propius abest a bonitate actionum morali, et ad boni etiam formalis accessionem magis dispositus est, quam, qui uitiis immerfus a sceleratae prius uitae consuetudine abstrahendus est. Quam ob causam prudenter agere arbitror, qui erudiendis iuuenibus praefecti sunt, si proposita gloriae dulcedine eosdem ad laudabilem uitae rationem excitant et cohortantur. Nullum autem e contrario factum uirtuti magis aduersari poterit, quam si uiri, in quibus ad maiorem maturitatem peruenit ingenii acumen, gloriam amplius propter se suamque suauitatem anhelant, quum

illa uirtuti potius tanquam unæ ad eandem uiam fuisset subordi-
nanda.

§. VII.

Sed hoc loco etiam exponendum esse uide-
tur, quatenus per leges diuinas licitum sit glo-
riae studere.

Hic in principio opera danda est, ut ueram et solidam
gloriam adpetas, i. e. quae non lubricis praeiudicatarum opi-
nionum aut simulationis fundamentis superstructa est, sed ex
uera et legitima actionum moralium cum finibus iustis et uti-
libus consensione proficiscitur. Alterum est ne gloriam tibi
ipse tanquam scopum praestituas, sed eam nullam aliam ob
rationem secteris, quam ne ulla in parte sincerus tuus in ex-
plenda diuina uoluntate feruor desideretur aut reprehen-
datur. Et enim si uere de uirtutibus ac perfectionibus tuis iudi-
cabunt homines, eo magis alii tanquam admotis calcaribus, ad
rationi et uirtuti conuenienter uiuendum excitabuntur. Ita
fiet, ut quo magis hac ratione uirtutum tuarum splendor inter ho-
mines luceat, eo frequentiori unanimes omnium laudis conspira-
tione, diuina gloria promoueatur. Tertium est, ne gloriam ne-
gligas, ne fortassis famam tuam susque deque habere uidearis.
Deinde alios de praestantia tua audientes, exemplo tuo ad idem
faciendum excites. Omnem uero gloriam, quae non ex actioni-
bus uoluntati diuinae conuenientibus existit, plane repudies,
nec enim uera est, nec durabilis. Et hac etiam ratione tua cupido
gloriae, semper, uti par est, naturam adiumenti retinebit, nec
ullouquam tempore finis naturam, uti in inflatis et superbia tur-
gidis ingeniis, accidere solet, induet. Dulcedinem denique
cum gloria coniunctam, beneficium dei putato, qui, uti plerif-
que uirtutibus iucunditatem, ad perliciendos homines efficacis-
simam addidit, ita etiam mirifica quadam, quae ex gloria ad
nos peruenit uoluptate, uirtutis studium nobis iucundius red-
didit, simul et praemio quodam exornauit.

§. VIII.

§. VIII.

Si quis requireret, quanam re et ratione maxima gloria paretur, ei forte suaferit alius, ut ea maxime sequatur studia, in eisque elaboret, quae ad palatum saeculi sunt, et nostris temporibus a plurimis probata, in primis uigent. Sed hic cautione opus est. Non enim semper, quid plurimis placeat spectandum, sed, quod placere debet, confectandum.

Humana mente nihil inconstantius, nihil mutabilius est, ideoque sordent saepe nostris, quae aliis omni melle dulciora fuerunt. Possem id multis confirmare exemplis. Sed iis non opus est. Testes huius rei erunt illi oratores, si quidem ita dicendi sunt, qui ingentem florum, emblematum et sententiarum undique collatarum farraginem, pro grauibus, ueris, et ex ipsius rei natura haustis argumentis adferentes, ueluti calamistris interquebant orationem ac puerilem reddebant, neque minustamen suis temporibus omnium oculos in se conuertebant. Nonne rident saecula nostra horum, crembulis, aut quibuscumque aliis, ridiculis sane crepundiis delectantium stultitiam? et eadem ratione ridebunt futura, eum, qui nunc apud nos obtinet morem, in seruili conscribilandi labore consistentem. Hic quas impura se orco spondentium paganorum superstitione confinxit fabulas scire, singulorum librorum auctores ad ungnem fari, in iisque citandis magnum eorum numerum cumulare iuuat, quae omnia negligere summa iniquitas, ignorare erudita inscitia habetur. Sed metus est, ne hi nihil adferentes proprium, alio tempore cogitandi rationis plane ignari habeantur. Quam ob causam, maxime tenendum est, quod iam supra monitum, heic tamen loci non piget ingeminare. In agendo, quod id cumque est, quod agas, per se non spectanda est gloria, praeclare facta tamen si sequitur, sapiens,

ex eadem uoluptatem percipiat. Sui quisque officii, praecepti diuini, ac reipublicae habeat rationem, atque utilia tractet. Recte in fabula apud PHAEDRUM L. III. 18.

Nisi utile est, quod facimus, stulta est quoque gloria.

Quumque gloria radices agat, ut ait CICERO de offic. L. II. c. 12. atque etiam propagetur, qui eam adipisci uolet, non solum quid de se suisque factis iudicent, qui uiuunt, curet, sed quid futura iudicatura sint saecula. Haec de prudentia in comparanda gloria, et mediis, si ita loqui licet, obiectiuus dicta sunt.

§. VI III.

Reliquum est, ut paucis agam, quibus adiumentis ac rationibus, quas subiectiuas uocant, ad gloriam quis adspirare ac peruenire queat.

Quilibet hic secum habitet, et quam curta sibi, aut lauta sit supellex circumspiciat. Se ipsum excutiat, ut, quid ualeat, quid minus, intelligat. Id autem, quod ualet, studio atque exercitatione confirmatum ac maturum, tandem publice ostendat. Sic intelligentiae suae animique probe exculti praestantiae specimina edat laude digna, ex quibus qualis sit, et quid alii ab eo expectare possint, clareat. Viam, qua ad celebritatem nominis uirtute duce et intelligentia tenditur, pro ratione cuiusque reipublicae inclarescendi caute ingrediamini nec eam negligatis. Utile est reipublicae, quod uobis gloriosum, si uerae studetis gloriae. At quisquis est, qui gloria delectatur, caueat, ne alii sentiant, se multum in ea ponere. *Gloria sequi debet, non appeti* monente PLINIO L. I. Ep. 8. multo minus eandem arripere licet, ne hominum animi ab immodestia tua alieni, tibi negent, quod ultro erant daturi. Cumque eos grauius ac merito taxet PETRONIUS, *qui cruda adhuc studia in forum propellunt, nihil adferas in publicum, nisi maturum, et quod aetatem ferat.* Res non satis cogitata, culta, expolita

lita

lita nec perfecta non specimen praestantiae tuae, sed ignorantiae, et ingenii est nondum confirmati.

§. X.

Qui verae operam dat gloriae, nec abhorret ab honoribus, qui publice habentur, nec honorum nominibus. Haec sane, si dignis conferuntur, magnam vim habent et ad uirtutem commendandam et animos ad maius decus exhortandos, propter ea, quod, praeclarum est et utile, uirtutis ac doctrinae specimenibus editis perspectae praestantiam, publicis principum uirorum iudiciis comprobata, honorumque nominibus ornata, in luce ac celebritate hominum uersari, ne in umbra delitescens langueat et contemnatur.

Ita homo uerae gloriae cupidus, ampliorem campum habet, in quo diuitias suas explicet, explicatasque aliis utendas committat. Sed sapienti de honore adipiscendo non minus, quam de parto conseruando tuendoque dimicandum est. Vsu interdum etiam uenire solet, ut, qui honores contemnit otio torpens, nec se honoribus dignum cupiat, uerum etiam non raro fieri solet, ut honoribus male partis aliis imponere, seque talem uenditare conetur, qualis non est, homo ingnauus et maxime inglorius. Mediam inter has uias eligit sapiens, eaque ad summum decus tendens, in fastigio gloriae tandem cum dignitate consistit. Laudat hic titulos atque honores, qui tanquam praemia doctrinae uirtutisque, et efficacissima diligentiae inuitamenta in academiis impertiuntur, eorumque hominum uoces contemnit, qui illis illudunt, et turpi semper nundinatione eosdem profanari clamant. Eo delapsa sunt saecula nostra, ut leuis sane dignitas hisce honoribus ha-

habeatur. Causam si quaeras in promptu est. *Honores, teste NEPOTE, in Miltiade c. VI. quondam rari fuerunt, ac tenues, ob eamque causam gloriosi, nunc effusi sunt, ideoque etiam obsoleti.* Obtruduntur illi hominibus indoctis saepius et ingloriis, qui ueluti buccina conuocantur. Sed quamdiu praeclaris scientiis dignitas sua suusque honor constabit, tandiu male collocata praemia nunquam eorundem splendori ac pulcritudini quidquam derogabunt, nec, quod in quibusdam deprehenditur uitium, statim de omnibus adfirmari poterit.

* * *

Tu potius laudandus es, *CARISSIME FRATER*, quod summos philosophiae honores, ultro *TIBI* delatos, grate acceperis, quos ideo igniculos putabis subditos, quibus ad ueram gloriam, studio et uirtute comparandam, inciteris. Conspicis hic regiam uiam ad novos honores patentem, quos ut consequaris, citato cursu contendes, et nihil sane tam altum a fortuna constitutum intelliges, quo rectissima diuinae uirtutis studia non possint eniti. Habes exempla patrum in rem sacram illustria, quae imitaberis, *CARISSIME FRATER*, propterea, quod nobis ~~uicque~~ sanctiori disciplinae studentibus salutare non minus, quam iucundissimum erit, si eo progredi licebit, ut maiores nostros, expressa uirtutis et doctrinae imagine aliquando referamus, prouidamque *INDULGENTISSIMAE MATRIS* curam, quam, erepto nobis praematura morte parente, sola in se suscepit, non uanam fuisse ostendamus. Quam ob causam pro longaeua *MATRIS*, quae omnes caritates complectitur, incolumitate uota nuncupo Numenque obtestor, ut eam confirmatam erigat semper et consoletur. *TE* uero, *CARISSIME FRATER*, in nobilissimo stadio decurrentem inoffenso pede progredi denuo iubeo, et omnia prospera feliciaque *TIBI* nouisque honoribus *TUIS* eo magis uoueo, quo maiorem uoluptatis gaudiique *TUI* partem, pro mutui inter nos amoris conspiratione mihi uindico. Scrib. Lipsiae. Prid.

Kal. Maias. A. R. G. CIO IO C C X X X V I I I.

* * *

Coll. diss. A. 234, Mus. 32